Magnus coram domino virtute esse predicantem in deserto caelestia gaudia
terrenas ex integro sprevisse delicias. Sed et hoc coram domino
magnum eminentiae quam viris hominibus videatur esse despectum. Quod sicut
in natis mulierum maior nemo est. lascivientis obludium puellae capi
te truncatus est. Cuius ordinem magnitudinis ipse qui proposuit ange
lus subsequenter exponens. Et vinum inquit et siceram non bibet.
Sicera interpretatur ebrietas. Quo vocabulo ebrei omne quod inebriare
potest poculum sive de pomis sive de frugibus seu de qualibet alia
materia confectum. significant. Proprium vero in lege nazareorum
erat vino. et sicera tempore consecrationis abstinere. Unde Ioh
sam son et hieremias ceterique tales ut semper nazarei. id est sancti
manere possint semper his abstinere satagunt. Decet enim vas caelestis
gratiae emancipatum a cunctis inlecebris castigari. Nec vino in quo est
luxuria debriari eum qui multo spiritu sancto desiderat impleri. Unde
recte cui vini ebrietas tollitur spiritus gratia cumulatur. Quare tunc
ut predictum erat ipse spiritu repletum monstravit. Cum intrante beata maria
in utero genetricis exultavit et precursionis suae cognoscens officium
domini quam mox adhuc potuit evangelizavit adventum.

ET MULTOS FILIORUM ISRAEL CONVERTET AD DOMINUM DEUM ipsorum ET IPSE PRECEDET ANTE ILLUM IN SPIRITU ET VIRTUTE HELIAE

Cum iohannes qui christo testimonium
perhibens in eius fide populos baptizavit dicitur filios israel ad dominum
deum ipsorum convertisse. patet profecto christum esse dominum deum israel.
Si autem christus est. immo quia christus est dominus deus israel. desinant arriani christum
dominum deum esse negare. Erubescant fotiniani christo ex virgine principium dare.
Cessent manichei alium populi israel ad quia alium christianorum deum credere.
Et quia iohannes precedere ante illum dicitur. videant aeternum ante
secula deum post hominem in seculis natum. Ideo quia a suo precursore modo
virum post se venturum modo dei filium esse nominatum. Qui bene
in spiritu et virtute heliae precedere dicitur. Quia sicut ille precursor venturus
iudicis ita hic precursor factus est redemptoris. Unde et conversatione

q(uo)d iohannes in fide xpi baptizavit
Arrianis
Fotinianis
De manicheis